LECTIO ECCLESIAE

JEAN-JOSEPH GAUME

SELECTAE SANCTORUM VITAE

ad ūsum discipulōrum ēdita

vocābulīs Latīnē explicātīs, vōcālibus longīs notātīs, imāginibus

LECTIO ECCLESIAE PRESS

The text follows Jean-Joseph Gaume (ed.), *Selectae sanctorum vitae*: Selectae sanctorum vitae quintanis legendae. Paris: Gaume frères, 1852. The Apostles and Evangelists; Jerome's lives of Paul the first hermit and of Hilarion; Epictetus and Astion; Sancti Patres in eremis; Paulinus of Nola; Sanctulus and Eutychius (Gregory, Dialogues). The life of St Martin (from Sulpicius) is omitted.

A work in the public domain. Misprints of the old edition are corrected.

Vowel lengths are marked throughout. The spelling uses *v* for the consonant, *i* for vowel and consonant alike, and *ae* and *oe* as two letters. The notes in the margin are in Latin.


Sentences quoted in the margin come from the Vulgate (cited by the usual abbreviations) and from: Act. mart. = Gaume, Selecta martyrum acta; Epit. = Lhomond, Epitome historiae sacrae; Fab. fac. = Ritchie, Fabulae faciles; Heuz. Syn. = Heuzet, Synopsis vitae Christi, B. V. Mariae, ac SS. Apostolorum; Heuz. VT I = Heuzet, Selectae e Veteri Testamento historiae, pars prima; Heuz. VT II = Heuzet, Selectae e Veteri Testamento historiae, pars secunda; Heuz. prof. = Heuzet, Selectae e profanis scriptoribus historiae; Imit. = Thomas a Kempis, De imitatione Christi; Ora mar. = Sonnenschein, Ora maritima; Orb. pict. = Comenius, Orbis sensualium pictus; Pons tir. = Appleton and Jones, Pons tironum; Prim. ann. = Paine and Mainwaring, Primus annus; Pro patr. = Sonnenschein, Pro patria; Puer Rom. = Appleton and Jones, Puer Romanus; Sulp. Dial. = Sulpicius Severus, Dialogi; Sulp. Ep. = Sulpicius Severus, Epistulae; Sulp. Mart. = Sulpicius Severus, Vita sancti Martini; Vestib. = Comenius, Ianuae Latinitatis vestibulum; Viv. = Vives, Linguae latinae exercitatio.

Pictures. At the head of lives and chapters: Hendrick Goltzius, *Christus, de twaalf apostelen en de heilige Paulus* (Haarlem, 1589) (Saints Peter, Paul, Andrew, John); Johann Sadeler after Maarten de Vos, *Solitudo sive vitae patrum eremicolarum* (Antwerp, about 1585) (Saints Paul the First Hermit, Hilarion, John Cassian); Bernardino Passeri, St Antony buries St Paul (1582); *Sacra eremus ascetarum* (1619) (St John of Lycopolis); the abbot Serenus (1644). All Rijksmuseum, Amsterdam, from reproductions in the public domain.

Set in Junicode and Gentium Plus (SIL Open Font License). All rights in this edition reserved.

Published by Lectio Ecclesiae Press · lectioecclesiae.com

Corrections are gratefully received at editor@lectioecclesiae.com.



SANCTUS PETRUS APOSTOLUS

¶ Simōn Petrus, fīlius Iōannis, prōvinciae Galilaeae, vīcō Bethsaidā, frāter Andrēae Apostolī, et prīnceps Apostolōrum, post episcopātum Antiochēnsis Ecclesiae et praedicātiōnem dispersiōnis eōrum quī dē circumcīsiōne crēdiderant in Pontō, Galatiā, Cappadociā, Āsiā et Bīthȳniā, secundō Claudiī annō, ad expūgnandum Simōnem Magum Rōmam pergit. Hic, cum vīdisset Petrum et Iōannem per impositiōnem manuum Spīritum sanctum commūnicantēs, obtulerat eīs pecūniam dīcēns: Date et mihi hanc potestātem. Ad quem Petrus: Pecūnia tua tēcum sit in perditiōnem; poenitentiam age ab hāc nēquitiā tuā. Simōn autem, sprētō Petrī cōnsiliō, ita Apostolīs īnfēnsus est, ut contrā ipsōs obnītī eōrumque adversārī doctrīnae nōn dubitāverit.

Itaque quī iam dēmentāverat Samarītās dīcēns sē esse māgnam Deī virtūtem, Iūdaeōs iisdem artibus aggressus est. Docēbat enim sēmetipsum esse quī inter Iūdaeōs quidem quasi Fīlius appāruerit; in Samarīā autem quasi

vīcus locus ubi paucī hominēs habitant

episcopātus “episcopātum eius accipiat alter” (Ps. 108)
praedicātiō < praedicāre
dispersiō < dispergere
circumcīsiō “quī sunt ex circumcīsiōne” (Rom. 4)
magus “Nōn sum ego magus” (Act. mart. 27)
impositiō “per impositiōnem manuum cōnsecrātī sunt” (Heuz. Syn. 30)
offerō obtulerat
perditiō < perdere
nēquitia = malitia
spernō = contemnō
īnfēnsus “propter quod īnfēnsus fuī generātiōnī huic” (Hebr. 3)
obnītor = resistō
adversor “ego vēnī ut adversārer tibi” (Num. 22)

adventō cf. adventus

exhibeō = ostendō

illustrō = illūminō
fax = lūmen
apostolicus < apostolus
arx locus quō cīvēs fugiunt cum bellum est

usquam "nam nēmō extendit usquam manum" (Viv. 17)
conculcō = conterō
philosophia "interrogātus quid Platō philosophiaque sibi prōfuissent" (Heuz. prof. 2, 8)
opīniō = sententia
sacrilegus = impius
impietās < impius

turbulentus "Nam Britannia prōvincia turbulenta erat" (Pro patr. 6)
profunditās "Et alta profunditās, quis inveniet eam?" (Eccle. 7)
Ōceanus = mare
cōnstāns = firmus
gradior = ambulō
expavēscō = timeō
gentilis < gēns
di-vertō
in-colō = habitō

innōtēscō "quia innōtuit eīs cōnsilium eōrum" (I Mach. 9)

excipiō exceptus

nuncupō = nōminō

germinō "ūniversa germinantia in terrā" (Dan. 3)
ex-crēscō = crēscō
auscultō = audiō
contentus "Domō eādem fuit contentus" (Heuz. prof. 5, 43)
ac-quiēscō

Pater dēscenderit; in reliquīs vērō gentibus, quasi Spīritus sanctus adventāverit. Rōmam profectus, ibi propter magicās quās exhibuit virtūtēs deus habitus est, atque statuā velutī deus honōrātus.

Tunc Petrō appāruit Dominus in vīsiōne dīcēns: Surge, Petre, vāde ad Occidentem, opus enim habet ut tuīs illustrētur facibus: ego erō tēcum. Sīc beātissimus Petrus, prīnceps apostolicī ōrdinis, ad arcem Rōmānī dēstinātur imperiī, ut lūx vēritātis, quae in omnium gentium revēlābātur salūtem, efficācius sē ab ipsō capite per tōtum mundī corpus effunderet. Cuius autem nātiōnis hominēs in hāc urbe nōn essent, aut quae usquam gentēs īgnōrārent quae Rōma didicisset? Hīc conculcandae philosophiae opīniōnēs; hīc dissolvendae erant terrēnae sapientiae vānitātēs; hīc cōnfūtandī daemonum cultūs; hīc omnium sacrilegōrum impietās dēstruenda. Ad hanc ergō urbem, tū beātissime Apostole Petre, venīre nōn metuis, et sylvam istam frementium bestiārum et turbulentissimae profunditātis ōceanum, cōnstantior quam cum suprā mare graderēris, ingrederis. Nec mundī dominam timēs Rōmam, quī in Caīphae domō expāverās sacerdōtis ancillam.

Cum Rōmam pervēnisset Petrus, antequam gentīlibus Ēvangelium praedicāret, ad contribūlēs suōs dīvertit Iūdaeōs. Incolēbant illī regiōnem Trānstiberīnam, iam ab Augustī temporibus. Caeterum ubi Petrus Ēvangelium praedicāns, gentīlibus Rōmānīs innōtuit, nōn amplius apud Iūdaeōs permissus est agere; sed ā Pudente senātōre, quī Christō crēdidit, in domum suam exceptus est, quae erat in Vīminālī, ubi posteā titulus est ērēctus, Pāstōris nōmine nuncupātus. In diēs autem Ecclesia apud Rōmānōs laetā fēcunditāte germināvit, ut in multitūdinem ingentem excrēsceret. Tanta aliunde pietātis lūx gentīlium mentibus quī Petrum audiēbant, affulsit, ut nōn eius sermōnī auscultandō contentī acquiēscerent; sed ā Marcō, Petrī comite, multīs variīsque precibus contendērunt ut monumentum illud doctrīnae etiam scrīptīs mandātum relinqueret. Quam scrīptūram

Petrus auctōritāte suā ratam fēcit, ut in ecclesiīs passim perlegerētur.

Stabilitā Sēde Rōmānā, Petrus Apostolus, cui ūniversī gregis cūra ā Dominō commissa erat, ad caeterās Occidentālis orbis partēs admōvit oculōs, ut apud omnēs praedicātiō ēvangelica illūcēsceret, et discipulōs, quōs habēbat, in dīversās prōvinciās āmandāvit. Habuit ā Petrō īnstitūtōs episcopōs Sicilia Pancratium, Marciānum, Bērillum et Philippum; Capua, Priscum; Neāpolis, Aspren; Tarracīna, Epaphroditum; Ptolemaeum, Nepe; Rōmulum, Fēsulae; Paulīnum, Lūca; Ravenna, Apollinārem; Vērōna, Euprepium; Patavium, Prosdocimum; Tīcīnum, Sȳrum; Aquileia, Hermagoram: In Galliīs, Lemovīcēnsēs, Tolōsānī et Burdegalēnsēs, Martiālem; Tungrēnsēs, Coloniēnsēs et Trevirēnsēs, Māternum nec nōn Valerium; Rhemēnsēs, Sixtum; Arelātēnsēs, Trophimum; Senonēnsēs, Sabīniānum; Cenomanēnsēs, Iūliānum; Vienna et Moguntia, Crēscentem; Catalaunum, Memmium; Bituricēnsēs, Ursīnum; Arvernēnsēs, Austremonium; Sanctonēnsēs, Eutropium; Germānia, Eucharium, Egistum et Marciānum; Hispānia, Torquātum, Ctēsiphontem, Secundum, Indalitium, Caecilium, Hesychium, Euphrātium et aliōs.

In Britanniā etiam Petrī operā Ēvangelium penetrāsse trādunt: haud mīrum cum, īnsulā nūper ā Claudiō imperātōre subiugātā, ad praedicātiōnem Ēvangeliī patuit aditus. Expulsīs per Claudium imperātōrem Urbe Iūdaeīs, Petrus reversus est Ierosolymam, ubi Conciliō Apostolōrum praefuit. Quō absolūtō, remeāvit in Occidentem, Rōmamque, Paulō comite, iterum sē contulit, ut afflictātae gladiō Nerōnis Ecclesiae Rōmānae succurreret. Intereā Simōn Magus sēsē in Nerōnis amīcitiam īnsinuārat, atque dē sē mīrifica praedicābat. Ut dē hīs aliquod exemplum prōderet, per āera volātum illī pollicitus est. Itaque quādam diē in theātrum, merīdiē, prōcessit. Cumque omnēs ad spectāculum ērēctī essent, Petrus seorsum ōrābat.

auctōritās "quum istā sīs auctōritāte" (Heuz. prof. 5, 22)
passim "In omnibus quoque cīvitātibus Iūdae ārae passim ērēctae." (Heuz. VT II 8)
per-legō
stabiliō "omnēs viae tuae stabilientur" (Prov. 4)
occidentālis "ad occidentālem plagam urbis Hai" (Ios. 8)
ad-moveō
illūcēscō "Deus Dominus, et illūxit nōbis." (Ps. 117)
āmandō = dimittō

penetrō "Ad Indōs usque penetrāvit" (Heuz. Syn. 22)
haud = nōn
nūper "Testantem quendam nūper audīvī" (Sulp. Dial. III)
subiugō = vincō
pateō "Ōs nostrum patet ad vōs" (II Cor. 6)
aditus = via
expellō "Unguentāriōs Lacedaemoniī urbe expulērunt" (Heuz. prof. 5, 20)
ab-solvō
remeō = redeō
occidēns "ab occidente congregābō tē" (Is. 43)
cōnferō contulit
suc-currō
mīrificus = mīrus
theātrum "In theātrum senex ībō" (Heuz. prof. 2, 13)
spectāculum "Haec spectācula Rōmānī lūdōs vocant." (Prim. ann. 21)
seorsum "stāte seorsum cōram Dominō" (Num. 16)

tollō sublātus
sublīmis = excelsus
suppeditō "quī omnibus escam suppeditat" (Act. mart. 11)
ac-clāmō
bonus optima
at-tollō = ērigō
supplicō = ōrō
scelestus "Ōrābat autem hic scelestus Dominum" (II Mach. 9)
labefactō = commoveō
improbus = impius

al-ligō

baptisma "sciēns tantum baptisma Iōannis" (Act. 18)

persevērō = permaneō

ab-ripiō = rapiō

persuādeō

compellō compulērunt

accūrātē = diligenter

paulisper "Stā paulisper iuxtā holocaustum tuum" (Num. 23)
quamvīs = etsī
cupidus "mulier fit audiendī cupidior" (Puer Rom. 43)
precor cf. prex
inflectō = inclīnō
reservō "reserventur quidem ut vīvant" (Ios. 9)

respōnsum "Respōnsum ab eā accēpit" (Act. mart. 15)
exuō = dēpōnō

servulus < servus
sponte "sponte obtulērunt Deō Israël" (Esdr. 7)

Tunc sublātus ā daemonibus Simōn volābat sublīmis, dīcēns sē in coelum ascendere, unde illīs bona suppeditātūrus esset. Populō illī acclāmante optima, attollēns Petrus manūs in coelum, tōtā mente supplicābat Deō, ut per Iēsum Christum Dominum frangeret scelestum illum, et daemonum vim labefactāret. Haec Apostolō dīcente, dēsertus ab improbīs virtūtibus Simōn, cum māgnō fragōre corruit et disruptus est. Quem ob cāsum īrātus Nerō, Petrum comprehēnsum et vinculīs alligātum in carcerem Māmertīnum dētrūdī iussit. Ibi Prōcessus et Martīniānus, Petrī custōdēs, ab ipsō ad fidem conversī, sacrō Baptismate initiātī sunt, ērumpente dīvīnā virtūte ex petrā fonte, quī in hunc usque diem persevērat.

Dum vērō exspectābātur exsecūtiō fērālis sententiae, indignissimē ferentēs Christiānī sīc ā sē pāstōrem omnium abripī Petrum, ut fugā sibi suīsque cōnsuleret īnstantissimīs precibus admonentēs, vix tandem ut id faceret persuāsērunt, imō compulērunt. Nōn dēerat ad haec praestanda carceris custōdum officium Prōcessī et Martīniānī. Quōmodo autem ēgressus, ac iterum Dominō admonente sit revocātus ad carcerem, sanctum Ambrosium haec accūrātē scrībentem audiāmus.

Petrus, inquit, victō Simōne, cum praecepta Deī populō sēmināret et docēret castimōniam, excitāvit animōs gentīlium. Quibus eum quaerentibus, christiānae animae dēprecātae sunt ut paulisper cēderet. Et quamvīs esset cupidus passiōnis, tamen contemplātiōne populī precantis īnflexus est. Rogābant enim ut ad īnstituendum et cōnfirmandum populum sē reservāret. Quid multa? Nocte mūrō ēgredī coepit; et vidēns in portā Christum occurrere Urbemque ingredī, ait: Domine, quō vādis? Respondit Christus: Veniō iterum crucifīgī. intellēxit Petrus ad suam crucem dīvīnum pertinēre respōnsum. Christus enim nōn poterat iterum crucifīgī, quī carnem, passiōne susceptā mortis, exuerat. Intellēxit ergō Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulō. Itaque sponte remeāvit. Interrogantibus

Christiānīs, respōnsum reddidit; statimque correptus, per crucem suam honōrificāvit Dominum Iēsum.

Porrō antequam mortis suppliciō Petrus et Paulus afficerentur, ambō, mōre Rōmānō, virgīs caesī fuisse trāduntur. Etiamnum Rōmae in ecclesiā Sanctae Mariae Trāns Pontem exstant, et in honōre summō habentur columnae illae, quibus Apostolī alligātī virgīs caesī sunt. Deinde supplicium mortis subitūrī, simul extrā Portam Trigeminam perductī sunt. Mōre sīquidem maiōrum id āctum fuisse vidētur, nam reōs extrā Urbem percutī solitōs docent Rōmānī scrīptōrēs. Cum autem Petrus ā Paulō, mūtuā prius salūtātiōne impartītā in ōsculō sanctō, dīvīsus esset, ad praescrīptum suppliciī locum dēdūcitur. Pervēnit cum Apostolō et appāritōribus populus īnfīnītus ad locum quī appellātur Naumachia, iuxtā obeliscum Nerōnis, in monte Vāticānō, iuxtā territōrium triumphāle.

Ibi Petrus affīxus crucī martyriō corōnātus est, capite ad terram versō, et in sublīme pedibus ēlevātīs, asserēns sē indignum ut sīc crucifigerētur ut Dominus suus. Cum martyrium cōnsummāsset, ā Marcellō presbyterō corpus eius cūrātum arōmatibusque condītum māgnificentissimē trāditur sepultūrae in Vāticānō, ubi tōtius orbis venerātiōne colitur. Passus est tertiō calendās Iūliī, ultimō Nerōnis annō, id est decimō quartō. Scrīpsit Petrus duās Epistolās quae Catholicae nōminantur. Sed et Ēvangelium iuxtā Mārcum, quī auditor eius et interpres fuit, huius dīcitur. Nōn tantum ossa Petrī aurō cāriōra, sed etiam sēdēs atque vincula Rōmae servantur.

Cōnsuēvērunt enim prīmī Christiānī, tantī memorēs beneficiī quod apostolicā praedicātiōne ē tenebrīs ad lūcem ēvectī essent, etiam ipsās sēdēs ligneās quibus Apostolī īnsēdissent summā dīligentiā custōdītās venerātiōne prōsequī. Cuius reī sit exemplum Hierosolymōrum ecclesia, quae sēdem Iācōbī usque ad Cōnstantīnī tempora integram servāvit. Sīc prīma pontificia sēdēs Petrī cathedra lignea, plūrimīs mīrāculīs illustrāta, ā Rōmānīs asservāta,

corripiō correptus

honōrificō "ut omnēs honōrificent Fīlium" (Ioan. 5)

pōns "pontem in Hellespontō fēcit" (Heuz. prof. 4, 30)
ex-stō

sub-eō

agō āctum

reus "factus est omnium reus" (Iac. 2)
scrīptor < scrībere
mūtuus "salūtāvēruntque sē mūtuō verbīs pācificīs" (Ex. 18)
salūtātiō < salūtāre
impertiō = tribuō
appāritor < appārēre
infīnītus "per īnfīnīta saeculōrum saecula" (Imit. 3, 40)
territōrium = ager
triumphālis "alter in triumphālī currū cōnspectus" (Heuz. prof. 4, 22)
af-figō
corōnō cf. corōna
martyrium "Tōta vīta Christī crux fuit et martyrium" (Imit. 2, 12)
arōma "cum ūniversīs prīmīs arōmatibus" (Ez. 27)
sepultūra "ibique locum accipiam sepultūrae" (Ruth 1)
Kalendae prīmus mēnsis diēs
ultimus "in ultimō spīritū cōnstitūtus" (II Mach. 7)
catholicus "Omnēs catholicae lēgis collige christiānōs" (Act. mart. 2)
interpres "Sī autem nōn fuerit interpres" (I Cor. 14)

ēvehō = ēlevō
ligneus < lignum
in-sideō = sedeō
diligentia "cum diligentiā cuncta facite" (II Par. 19)
prō-sequor
integer "Etiam cum esset integrum" (Ez. 15)
cathedra "Magister in cathedrā solet sedēre" (Puer Rom. 2)
multus plūrimīs
as-servō = custōdiō

hactenus = adhūc

vīsō = videō

trāns-mittō

catēna = vinculum

iussus < iubēre

in eiusdem Petrī basilicā Vāticānā hactenus custōdītur, certīsque diēbus populō vīsenda expōnitur. Vincula etiam quibus Petrus ā Nerōne in carcere alligātus fuit, summō studiō custōdīta, ad posterōs per manūs trānsmissa sunt.

Ē duābus autem catēnīs quibus beātus Apostolus, Christī causā, Hierosolymīs Hērōdis iussū vinctus fuerat, alteram Eudoxia Augusta, Theodosiī Iūniōris uxor, Cōnstantīnopolī voluit asservārī; alteram vērō Rōmam mīsit ad Eudoxiam fīliam. Et sīcut Cōnstantīnopolī in honōrem alterius catēnārum est ērēcta basilica, ita etiam Rōmae titulus est ērēctus in Esquiliīs, Sanctī Petrī ad Vincula nuncupātus. Fēlīcēs illī nexūs quī, dē manicīs et compedibus in corōnam mūtandī, Apostolum contingentēs, martyrem reddidērunt! Fēlīcēs catēnae quae, nūdātīs pēne ossibus inhaerentēs, vīvās reliquiās dē sanguinis sūdōre rapuērunt; tactusque membrōrum cruciātūs suī sanctificat īnstrūmentum, in quō dum afflictiō crēscit ad poenam, causa poenae prōficit ad glōriam!


Fēlīcia vincula, quae reum suum usque ad Christī crucem, nōn tam condemnātum, quam cōnsecrātum mīsērunt!

Testātur Eusebius eōs quī ex gentibus ab Apostolīs praedicātam Christī fidem accēpissent, illōrum imāginēs colōribus vel aliō modō exprimendās cūrāsse; additque sē in hunc modum Christī Dominī et Apostolōrum Petrī et Paulī pictūrā expressās imāginēs ā maiōribus cōnservātās aspexisse. Petrus igitur haud crassā corporis statūrā fuit, sed quae aliquantō esset ērēctior; faciē subpallidā; capillī capitis et barbae crispī et dēnsī, sed nōn admodum prōminentēs fuēre. Oculī quasi sanguine respersī, nigrī; supercilia prope ēvulsa. Nāsus autem longior, nōn tamen in acūmen dēsinēns, sed pressus sīmusque magis. Quod dē sanguineīs oculīs dīcitur sīc accipe, quod Petrus assiduō plōrāsse ferātur. Notant enim veterēs adeō poenituisse beātum Apostolum, ut, per tōtam post lapsum vītam, singulīs noctibus audiēns gallī cantum in genua prōcideret, amārās funderet lacrymās, et peccātī licet iam remissī iterum veniam ā Deō Christōque

nexus “sicque eritis līberī ab omnī nexū peccātī” (Act. mart. 26)
compēs “Humiliāvērunt in compedibus pedēs eius” (Ps. 104)
nūdō cf. nūdus
inhaereō = adhaereō
reliquia = reliquiae
sūdor “In sūdōre vultūs tuī vesceris pāne” (Gen. 3)
tactus < tangere
cruciātus = tormentum
īnstrūmentum “Haec sunt īnstrūmenta tabernāculī testimōnii” (Ex. 38)
testor cf. testis
accipiō accēpissent
color “mūtātus est color optimus” (Lam. 4)
pictūra multae pictūrae in camerā sunt
crassus “Erat autem Eglon crassus nimis.” (Iud. 3)
statūra = altitūdō
admodum = valdē
prōmineō “quasi prōminentēs dē pariete” (III Reg. 6)
niger “vōs nigram tabulam vidētis” (Prim. ann. 7)
ēvellō “ab altārī meō ēvellēs eum” (Ex. 21)
acūmen = aciēs
sanguineus < sanguis
assiduus = perpetuus
plōrō = fleō
notō = observō
poeniteō “in hōc ipsō poeniteāmus” (Iudith 8)
cantus < canere
prōcidō
amārus “quia amārae factae sunt” (Apoc. 8)

flāgitāret. Quī etiam sē ā carne et vīnō temperābat, lupīnīs minūtō asse vēneuntibus famem pellere cōnsuētus.

flāgitō = postulō
temperō = contineō
vēneō “Suburbāna autem eōrum nōn vēneant” (Lev. 25)
pellō “Metellus Numidicus Rōmā pulsus” (Heuz. prof. 4, 36)



NAM MIHI VITA CHRISTVS
EST. & MORS LVCRVM .

SANCTUS PAULUS APOSTOLUS

¶ Paulus Apostolus, quī ante Saulus, extrā numerum duodecim Apostolōrum, dē tribū Beniamin et oppidō Iūdaeae Giscalis fuit. Quō ā Rōmānīs captō, cum parentibus suīs Tharsum Ciliciae commigrāvit: ā quibus ob studia lēgis missus Ierosolymam, ā Gamaliele virō doctissimō, cuius Lūcās meminit, ērudītus est. Cum autem interfuisset necī martyris Stephanī, et, acceptīs ā Pontifice templī epistolīs, ad persequendōs eōs quī Christō crēdiderant Damascum pergeret, revēlātiōne compulsus ad fidem, in vās ēlectiōnis dē persecūtōre trānslātus est. Cumque prīmum ad praedicātiōnem eius Sergius Paulus prōcōnsul Cyprī crēdidisset, ab eō quod eum Christī fideī subēgerat, sortītus est nōmen; et iūnctō sibi Barnabā, multīs urbibus peragrātīs, revertēnsque Ierosolymam, ā Petrō, Iācōbō et Iōanne gentium Apostolus ōrdinātur.

Et quia in Actibus Apostolōrum plēnissimē dē eius conversātiōne scrīptum est, hoc tantum dīcam quod post

commigrō "postquam commigrāsset in Aegyptum" (Epit. 76)
doctus "cum plūrēs doctiōrēs tē inveniantur" (Imit. 1, 2)
intersum "quibus sermōnibus ego quoque interfuī" (Puer Rom. 34)
nex = mors
martyr "dicēbat sanctō Iūliō martyrī" (Act. mart. 10)
accipiō acceptīs
revēlātiō "per revēlātiōnem Iēsū Christī" (Gal. 1)
compellō compulsus
ēlectiō "quoniam vās ēlectiōnis est mihi iste" (Act. 9)
persecūtor "interfectīs hostibus ac persecūtōribus suīs" (Esth. 9)
trānsferō trānslātus
subigō = vincō
sortior cf. sors
revertor
ōrdinō cf. ōrdō
actus < agere
conversātiō "Inimīca est multōrum conversātiō." (Heuz. prof. 5, 25)